Morbio 25 (40)

Venerabili in Christo patri Dei gratia Archiepiscopo Mediolanensi vel eius in spiritualibus vicario Antonius miseratione divina tituli Sanctorum Quatuor
Coronatorum presbiter Cardinalis Salutem et sinceram in domino charitatem Ex parte Bartholomei de Beputio laici et Jacobe etiam de Beputio
mulieris coniugum vestre diocesis nobis oblata petitio continebat quod ipsi olim scientes se quarto affinitatis gradu invicem attinere
ex eo provenientem quod primus dicte Jacobe maritus dum viveret prefato Bartholomeo quarto consanguinitatis gradu erat con-
iunctus matrimonium inter se per verba de presenti publice de facto contraxerunt illudque carnali copula consummarunt Cum autem dicti
coniuges in huiusmodi matrimonio remanere non possint et si divortium perpetuum fieret inter eos gravia exinde scandala possent
verisimiliter exoriri Supplicari fecerunt humiliter dicti coniuges eis super his per sedem apostolicam misericorditer provideri Nos igitur Auctoritate
domini pape cuius penitentiarie curam gerimus Et de eius speciali mandato super hoc vive vocis oraculo nobis facto Circumspectioni
vestre committimus quatenus si est ita ipsis coniugibus prius ad tempus de quo vobis videbitur ab invicem separatis eos a generali ex-
communicationis sententia quam propterea incurrerunt incestusque reatu et excessibus huiusmodi absolvatis hac vice in forma ecclesie consueta
iniuncta inde eorum cuilibet pro modo culpe penitentia salutari et quia eorum alteri superviviens perpetuo remaneat absque spe coniugii
Demum cum eisdem quod impedimento affinitatis huiusmodi quod ex premissis provenit non obstante libere valeant inter se
matrimonium denovo contrahere et in eo postmodum licite remanere misericorditer dispensetis Dummodo dicta mulier propter hoc ab
aliquo rapta non fuerit prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernendo Datum Placentie sub sigillo
officii penitentiarie xiiij Kalendas Julii Pontificatus domini Pauli pape iii Anno Quarto

Inn

Jo. Albini Hourmternus (?)
Herr. [illegible] dattus

Phi. Jeronimus

Concordat (?) [illegible]

[illegible] Jo. Cordellus (?)

Jo. Cordellas

1538 18/VI

Jo. Cordellas

Morbio 25 (40)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1869964934-16/fragment/page=0002